



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ioannis Præpositi Atrebatis, E Societate Iesv, S.
Theologiæ Doctoris, & quondam in Vniuersitate
Louaniensi ac Duacensi Professoris, Commentaria In
Tertiam Partem S. Thomæ De Incarnatione Verbi ...**

LePrévost, Jean

Dvaci, 1629

Qvæstio LXXXVIII. De reditu peccatorum per Pœnitentiam dimissorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94249](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94249)

QVÆSTIO LXXXVIII.

De reditu peccatorum per penitentiam dimissorum.

ARTICVLVS I.

Vtrum peccata dimissa redeant per subsequens peccatum?

SANCTVS Th. refert aliquos qui senserunt peccata dimissa redire, eo quod macula, & reatus pœnæ æternæ redeant secundum quod causabantur ex actibus peccatorum prius dimissorum. Alij eodem teste censuerunt peccata redire, eo quod Deus non remittat peccata penitenti postmodum peccaturo, secundum præscentiam, sed solum secundum presentem iustitiam.

Quibus sententijs reiectis Respondet peccata dimissa non redire simpliciter per subsequens peccatum, sed secundum quid.

DVBIVM I.

Vtrum peccata per penitentiam dimissa vere redeant reipsâ, ratione subsequentis peccati?

Refp.

Sensus questionis.

Explicatur locus
Psal. 31.

2.

Hugo.

Gratian.

Putant peccata omnia

redire per subsequens

peccatum, alij quædam.

Varij modi

quibus concipi possunt

peccata redire.

In presenti dubio non querimus quid de potentia absolutâ fieri possit, sed quid reipsâ fiat secundum statutam Dei legem, & modum quo peccata à Deo reipsâ remittuntur.

Suppono verò contra hæreticos nostri temporis peccata per penitentiam, vel Sacramenta non tantum regi, & cum insint, non imputari propter Christi iustitiam, sed reipsâ condonari, & remitti, ut fides docet, cui veritati non obstat quod psal. 31. peccata dicantur regi: non enim ita loquitur Scriptura, quod peccata in nobis remaneant, sed quod verè deleantur: nam vult docere quod quædam inter homines non appareant, id quod tegitur, ita oculis Dei non appareant peccata remissa, cum autem nil possit esse Deo opertum præter id quod non est, sequitur peccata remissa non remanere amplius cum ita tegantur, ut ne quidem Deo appareant. Confit. Psalmista loco citato ait: beati quorum remissa sunt iniquitates: sed hac de re alibi est tractandi locus. hoc supposito

Aliqui censent peccata dimissa redire per subsequens peccatum. ita Hugo de S. Victore tom. 3. lib. 2. de Sacramentis parte 14. cap. 9. Gratianus de penitentia dist. 4. per multa capita, & alij. quidam alij, licet id non censent vniuersim de quouis genere peccati, existimant tamen quædam redire v.g. odium fratris, & quædam alia.

Notandum peccatum posse concipi ex triplici capite redire. 1. quod ratione peccati subsequentis redeat idē num. actus peccaminosus. & hoc modo peccata non redire certum est, cum vt bene S. Th. hic, subsequens peccatum sæpe sit planè disparatum, imò interdum contrarium, & tendentia sit opposita priori tendentiæ in obiectum. fieri enim potest, ut qui grauiter peccauit detinendo alie-

num, postmodum peccet sua profundendo, præterea homo non potest naturaliter eundem numero actum reproducere, ergo de facto nō potest peccatū redire eo quod idem numero actus malus iteratō producat. 2. potest concipi redire eo quod macula peccati redeat ratione subsequentis peccati, ita vt redeat macula, prout causabatur ex actibus peccatorum dimissorum. 3. quod redeat reatus pœnæ, seu obligatio ad pœnam subeundam.

Dico 1. peccata per penitentiam dimissa (idem est iudicium de dimissis per Sacramenta) non redeunt quoad maculam per subsequens peccatum ita communiter Theologi cum S. Th. hic, pro cuius probatione videtur

Supponendum, quod Deus non condonet peccata sub conditione, sed absolute, quod probatur 1. certum est in Ecclesiâ, quod peccata condonentur non solum prædestinatis, sed etiam præcitis & reprobis. 2. in verbis absolutionis nec inest conditio expressa: *quandū non mories in aliud mortale*, nec censetur inesse tacita. 3. modus condonandi absolute est magis conformis naturis rerum, igitur nil ex aliquo capite nobis clarè constet Deum remittere peccata solum conditionatè, omnino dicendum est remittere absolute & independentè à futuris eventibus.

Hinc probatur conclusio, macula peccati, prout causabatur ex priori peccato non redit ex parte Dei, neque redire potest ex parte hominis peccatoris. posterior pars probatur, opus Dei, vt docet D. Th. non potest irritari per opus hominis, hoc est, homo non potest facere, vt per subsequens peccatum remissio præcedens Dei reddatur inefficax. prior pars probatur, condonatio debiti absolute facta non potest à creditore reuocari, cum ergo Deus absolute peccatum remittat non potest ex eius parte macula peccati redire. eadem conclusio probatur etiam ex Patribus paulò post citandis.

Dico 2. non redit etiam reatus pœnæ æternæ.

Probatur 1. ex Gelasio papa, & refertur de penitentia, dist. 4. canone ultimo, dicente: *diuina clementia peccata in ultionem ulterius redire non patitur*. Prospero ad secundam obiectionem Gallorum: *qui recedit à Christo & alienus à gratia finit hanc vitam, quid nisi in perditionem credit, sed non in quod remissum est recedit, nec in originali peccato damnabitur: quia tamen propter postrema crimina eâ morte afficitur, quod propter illa, quæ remissa sunt debebat.*

Probatur 2. ratione: macula peccati ita sublata est per penitentiam, vt per subsequens peccatum non redeat, ergo nec redit reatus pœnæ æternæ, qui sublata maculâ secundum naturalem rerum exigentiam, aufertur, & eodem modo aufertur, proportionè quo culpa, id est absolute.

Ex dictis Patrum citatorum probatur etiam prior conclusio, si enim non redit reatus pœnæ, nec debet redire macula, quia cum propter maculam aliquis sit reus pœnæ, si ea rediret, conforter naturis rerum deberet etiam reatus pœnæ redire. nec dici potest, quod redibit reatus pœnæ, id est dignitas pœnæ subeundæ: Deus tamen non sit puniturus, quia ex nullo solido principio possumus colligere Deum non puniturum aliquem, qui sit reus pœnæ.

Ex dictis patet falsitas vtriusque modi explicandi reditum peccatorum à D. Th. relati.

In 2. conclusione dixi nō redire reatū pœnæ æternæ, quia non est improbableè temporale pœnam, quam

quam Dominus Deus interdum decreuit infligere propter certa peccata, vel non remitti propter pœnitentiam, vel si remittatur, quodammodo reuoluisse per subsequens peccatum; ita potest intelligi illud psalmi 108. *in memoriam redeat iniquitas patrum eius*, ubi agitur de pœnâ aliquâ temporali, quâ interdum filij puniuntur propter delicta parentum.

Contra conclusiones obiicitur 1. 3. Regum 17. *quid mihi, & tibi, vir Dei? reuersus es ad me, ut rememorarentur iniquitates meæ.*

Resp. hunc locum nihil contra conclusiones facere, sed solum ostendere, quod iam diximus, scilicet interdum pœnam temporalem infligi propter peccata aliquo dimissa. neque enim mulier Sareptana vult maculam, vel pœnam æternam redire per subsequens peccatum, sed ita loquitur metuens ne puniretur morte filij sui, quasi dicat: Deus qui videbatur oblitus peccatorum meorum, permittes me pacifice agere, videtur ad tuum aduentum me velle affligere morte filij. vnde

Notandum Deum videri obliuisci peccatorum, quando illa etiam non remissa non punit, seu quando illorum punitionem differt: rememorari verò, quando post aliquod tempus punit.

Obiicitur 2. Ezechielis 18. *si autem auerterit sensus à iustitiâ sua, & fecerit iniquitatem &c. omnes iustitias eius, quas fecerat, non recordabimur: ut qui Deus recordaretur earum, si peccata non redirent, igitur per subsequens peccatum, peccata prius dimissa redeunt.*

Resp. neg. minorem, ad sensum Scripturæ, quæ vult Deum non habiturum memoriam iustitiarum, quas fecerat impius, in ordine ad præmium vitæ æternæ, hoc est, Deum tali non collaturum vitam æternam, sed in præiudicatione, quâ præiudicatus est, & in peccato suo quod peccauit, in ipsis moriturum, ut ibidem propheta, ut est in æternum periturum, non propter præcedentia peccata, quæ fuerunt ei condonata, sed propter subsequencia.

Obiicitur 3. Matth. 18. seruus, cui dimissum erat debitum, traditus est tortoribus, donec redderet vniuersum debitum, quia noluit conferuo suo dimittere, & concludit Christus: *sic & pater meus celestis faciet vobis, si non remiseritis vniuersis, quæ fratri suo de cordibus vestris.* quibus verbis videtur indicari propter subsequens peccatum præsertim inclementiæ in fratrem redire priora peccata remissa, quod etiam videntur indicare sententia Patrum, qui prædictum locum ita videntur explicare, plures videri possunt apud Gratianum de pœnitentiâ distinct. 4. primis canonibus.

Resp. negando Scripturam id velle, pro quo

Notandum occasione petitionis Petri: *quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei?* Christum Dominum prædictam parabolam proponere, quâ significet inclementiam in fratrem, quæ non solet ab hominibus magni fieri, esse graue peccatum & longè pluris faciendum quàm homines existimant, ita ut propter huiusmodi peccatum homo possit in æternum puniri. quasi dicat: quemadmodum rex, qui seruo suo maximum debitum liberalissimè dimisit, aduertens illum conferuo suo paruum debitum nolle dimittere, indignans huiusmodi hominè grauissimè puniit pater celestis æternò damnabit supplicio eos, qui nolunt fratribus ignoscere. ad hoc tantum tendit parabola, ad quod non debent adaptari omnia, quæ in ea ornatus

causâ ponuntur, ut passim docetur de parabolis, & varijs exemplis ostendi posset, vnde particula, *sic*, nõ debet ita explicari: quemadmodum rex terrenus à seruo inclemente in conferuum exegit vniuersum debitum, ita & pater celestis. sed hoc modo: ita & pater celestis in æternum punit, scilicet propter peccatum inclementiæ quod hominibus paruum videtur, hoc sensu etiam accipiendi sunt patres, nõ ut velint antiqua debita propriè, & secundum se redire, sed similitudine culpæ, & pœnæ, quia scilicet quemadmodum propter præcedentes culpas aliquis fuisset in æternum puniendus, ita puniretur propter peccatum inclementiæ in fratrem illo peccato intercedente statum gratiæ, quo sensu dici possunt præcedentia peccata redire, non absolute, sed secundum quid, in quantum scilicet sequentia conueniunt cum præcedentibus. aliqui etiam possunt intelligi, quod velint præcedentia peccata redire quodammodo per subsequens ratione ingratitudinis, quem modum reditus concedit S. Thom. hic in Corpore, quia censetur ingratus, qui post acceptam peccatorum remissionem, rursum offendit suum benefactorem. videri potest Vasquez hic dubio vñico num. 18. & sequentibus qui fusi hunc locum pertrahat. Suarez disp. 13. sect. 1. num. 7. & sequentibus, & breuiter Maldonatus in locum citat. Matthei.

Aduerte, quod licet propter ingratitudinem peccatum aliquo modo aggrauetur, non tamè redeat tota eius grauitas vel in se, vel in æquivalenti: sed quod cæteris paribus peccatum subsequens sit grauius, & eò maius, quod plura, vel maiora peccata sunt remissa. videri potest S. Thom. art. 7. quia verò specialis quidam ingratitudo in aliquibus peccatis inuenitur, peccata dimissa dicuntur peculiariter per illa redire, ut per odium fraternum, quod nolimus ignoscere petenti veniam, quia in tali peccato videtur peculiariter elucere ingratitudo, item per apostasiam à fide, contemptum confessionis, & per dolorem de pœnitentiâ peractâ, quia hæc peccata peculiariter repugnant peccatorum remissioni. videri potest S. Th. art. sequenti. vbi rursus

Aduerte hanc ingratitudinis circumstantiã non adferre nouam speciem, cum sit circumstantia generalis, quæ non solet tribuere speciem actui, nisi specialiter intendatur, ut alibi est explicandum, vel nisi quis sub præcepto teneatur gratias agere, & præcipue, cum ingratitudo non sumat suam malitiam obiectiue ab opere externo, sed è contra illâ deriuat in opus externum. vnde nisi inueniatur expressa voluntas agendi contra beneficium &c. opus ex eo causate non sortitur nouam speciem malitiam. videri potest, S. Th. art. 4.

Obiiciuntur 4. à Gratiano dist. 2. citata varij Patres, sed eos iam explicauimus, quod scilicet non velint maculam redire, prout ex præcedentibus peccatis ortam, sed primò quod censetur redire similitudine culpæ, & pœnæ, & quod per peccata subsequentiã homo auertatur à Deo sicut per priora, eiusque inimicitiam incurrat, vel quod censetur redire secundum quid, scilicet ratione ingratitudinis. aliqui etiam agunt de reditu quoad pœnam temporalem, modo supra explicato, quod scilicet pœna temporalis, quæ erat suspensa ratione pœnitentiæ, mandetur executioni propter subsequens peccatum.

Obiicitur 5. pia opera facta in gratiâ solum mortificantur per peccata, eorumque meritum redit remissis peccatis per pœnitentiam, ergo idem

9. Peccata dei possunt redire secundum quid quatenus sequentiã conueniunt cum præcedentibus.

Vasquez. Suarez. Maldon.

Per ingratitudinem non redit tota peccati grauitas.

10.

Circumstantia ingratitudinis nõ adfert nouam speciem.

Obiectio 4. Resp. & explicatur pp.

Obiectio 5.

dicendum de peccatis remissis, scilicet ea redire per subsequens peccatum.

Resp. negando consequentiam, quia peccata absolute condonantur, & ut maneat condonata, non requirunt vllum Dei influxum, cuius subtractione dici possint redire, & ita non possunt redire ex parte Dei, non possunt etiam redire ex parte hominis, ut ostensum est. pia autem opera non receperunt mercedem ipsis promissam, unde sublato obice, & homine ad gratiam restituito incipiunt esse utilia ad vitam aeternam.

D V B I V M II.

Utrum de potentia absoluta peccatum semel remissum possit redire per subsequens peccatum?

12.

QUOD superiori dubio notauimus posse concipi peccatum ex triplici capite redire, presenti dubio est applicandum, in quo tres sunt sententiae, quoad modum loquendi, in re autem forte duae.

Prima sent. negat.

Secunda affirmat. quoad maculam.

Scot.

Prima sentit nullo modo posse redire, ita Valquez hic dubio vnico num. 50. & sequentibus.

Secunda censet posse redire saltem quoad maculam. tenet Scotus dist. 22. q. vnica, & quidam alij. verum in re non tam censent maculam posse redire, quam obligationem ad penam, quam solam censent remanere transacto actu peccati, ut sapius dictum est, unde in re nihil aliud volunt, quam

Tertia reatum posse redire.

SHAR.

Tertia sententia quae censet reatum penae aeternae ex priori peccato dimisso contractum posse redire per subsequens peccatum, non tamen peccatum quoad substantiam vel maculam, quam tenet Suarez disp. 13. sect. 1. num. 11. iuncta sect. 2. num. 5.

Notandum, quod facta remissione peccati eo modo, quo de lege ordinaria fit, omnino repugnet peccata redire: cum enim Deus de facto remittat peccata absolute, fieri nequit, ut ipse suam condonationem retractet, atque ita fieri nequit, ut etiam de potentia absoluta ex parte Dei redeat peccatum hoc modo condonatum; homo autem per subsequens peccatum non potest irritam facere condonationem à Deo absolute factam. difficultas verò est num peccatum redire possit, eo quod remissio fiat sub conditione.

13.

Conclus. x. Dimissum non potest vlla ratione redire quoad substantiam, cum sua morali conditione.

Dico 1. peccatum dimissum non potest per vllam potentiam ratione subsequentis peccati redire quoad ipsam actus substantiam cum sua conditione morali; quamuis enim cum quibusdam diceretur actum v.g. odij Dei posse à solo Deo produci, atque adeo odium semel à creatura liberè productum posse à Deo reproduci, non idcirco dici posset illi ipsi actum posse reproduci cum sua morali conditione, seu in ratione peccati, quod requireretur ut peccatum verè diceretur redire. Probatur, si peccatum hoc modo rediret, Deus esset author peccati formaliter sumpti & peccaret, ergo nullo modo potest hac ratione redire, antequam probatur, cum nulla creatura possit per vires naturae eundem actum bis producere, hæc reproductio esset peculiariter in Deum refundenda, & proinde peculiari modo esset author actus, cui ex suppositione annexa esset malitia, & per consequens peccaret, imò si ita vteretur creatura, ut ea non liberè concurreret ad huiusmodi actus reproductiorem, peccatum in solum Deum refunderetur, & ita nullo modo dici potest peccatum hominis redire per subse-

quens peccatum, quia peccatum redire, non est quomodocumque actum poni; sed ita poni, ut homo, qui prius dicebatur peccare, rursum eodem modo denominetur ab actu: nullo autem modo secundo posset fortiri hanc denominationem, utpote non liberè præbens secundo influxum in eundem actum peccaminosum.

Dico 2. de potentia absoluta potest reatus penae aeternae redire per subsequens peccatum. non enim videtur repugnare, quod Deus condonet absolute quidem peccatum quoad culpam, conditionate tamen quoad penam aeternam, seu non condonet penam nisi sub conditione, quod homo non incidat in alia peccata: si verò incidat, eundem sit puniturus non tantum propter subsequentia peccata, sed etiam propter præcedentia, ita ut non tantum sit inflictorus incommodum aliquod materialiter, sed etiam in ratione penae per habitudinem ad peccata dimissa. Confir. quia supra cum quibusdam censuimus de potentia absoluta posse remitti culpam mortalem non condonatam penam, & in purgatorio remissa culpam veniali relinquitur tota penam persoluenda, ergo non repugnat peccatum ita remitti, ut si homo de nouo peccet, sit puniendus etiam propter antiqua peccata.

Dices, eo ipso, quo homini remissa est culpa, non est dignus penam, igitur repugnat remitti culpam absolute, & penam solum sub conditione. Confir. si reatus penae possit redire, dicendum de facto redire, quamuis Deus ex sua misericordia hominem non destinet ad penam: aliud enim est non destinari ad penam, aliud verò non esse dignum penam, & ex priori non sequitur posterius.

Resp. neg. assumptum. potest enim remanere dignus penam propter præcedens peccatum, ut patet de facto in eo, cui peccatum remissum est, cui non semper eodem instanti remittitur omnis penam. quod si quis vim faciat in verbo, dignus, dici potest quod ad hoc, ut dicatur redire reatus penae, non requiratur, ut quis sit dignus per intrinsecam dispositionem præsentem, sed sufficiat præcedens peccatum quoad penam non perfectè condonatum. ad Confirmationem Resp. neg. assumptum, quia per iustificationem prout de facto contingit, homo redditur acceptus ad vitam aeternam, quod non consistit cum reatu penae aeternae, unde in remissione peccatorum, quae de facto contingit, reatus penae aeternae, qui responderet peccatis remissis, absolute tollitur.

Dico 3. non videtur improbabile per diuinam potentiam posse condonari peccatum & tolli maculam sub conditione, & ita ut homine denuo peccante antiquum peccatum redeat quoad maculam. tenet Valentia disp. 7. q. 5. puncto 1. §. 9. quod Deus, videtur enim Deus posse peccatum ita condonare ut si homo in aliud incidat, sit illum odio habiturus non solum propter subsequentia peccata, sed etiam propter præcedentia. quo casu peccatum seu moralis antiqua auersio, quae censetur redire, non erit in Deum tanquam in causam refundenda, sed in hominem, qui peccauit, quique non aliter est consecutus prioris peccati remissionem, quam si, & quamdiu iustitiam conseruaret. id fieri potest si peccatum homini remitteretur sine vlla gratiae infusione, imò & absque pio voluntatis motu, quod fieri posse in superioribus censuimus, & in quo modo nulla apparet repugnancia: Deus enim non videtur posse restringi ad gratiam habituaalem, vel etiam contritionem, ut alii peccatum mortale remittat.

Confir.

Confit. homini non eleuato ad finem supernaturalem sed in statu nudæ naturæ relicto Deus potuisset peccatum condonare sine gratiæ infusione & absque motu voluntatis proportionato. 2. id fieri posset etiam si in remissione peccati gratia infunderetur prout infunditur de facto: non enim videtur sufficienter ostendi, quod homo per gratiæ infusionem ita iustificetur, vt repugnet alicui infundendi gratiam & peccatum illi sub conditione condonari, præsertim cum licet conformiter conditioni, & exigentiæ gratiæ peccatum remittatur infusione gratiæ: tamen de potestati absolutâ videatur posse cum ipsâ gratiæ entitate in eodem consistere, vt plures docent, & hæc non habeant omnimodam inter se repugnantiam.

Occasione eius quod tradit S. Th. art. 2. responsione ad 3. est

D V B I U M I I I.

Virum sit grauius peccatum, an id, quod committitur post innocentiam, an vero illud, quod committitur post obtentam remissionem peccatorum?

QUÆSTIO hæc ex alterius resolutione dependet, scilicet quod nam sit maius beneficium, innocentia, an vero remissio peccatorum. nam ceteris paribus quo beneficium est maius, eo maior censetur ingratitude contra beneficium commissâ.

Scotus dist. 22. quaest. vnica §. de 3. art. censet maius esse beneficium innocentia, & proinde maiorem ingratitude inuolui in peccato quod post innocentiam committitur, quam in eo quod committitur post pœnitentiam. Scotum sequuntur Gabriel dist. cit. quaest. vnica art. 3. dubio 1. & alij.

Ex S. Th. tum 2. 2. q. 106. art. 2. tum hic colligi potest, omnibus spectatis communiter remissionem peccatorum post pœnitentiam esse maius beneficium, quod tenent etiam varij. pro resolutione

Notandum ipsa beneficia varijs modis posse inter se conferri. nam possumus considerare beneficium quoad rem collatam, & secundum eam considerationem, quod res collata est præstantior, eo maius est beneficium. vnde si vnus in remissione peccatorum sit consecutus gratiam vt octo, alter vero sit præseruatus sine peccato cum gratia vt quatuor, prior secundum hanc considerationem maius beneficium accepit. 2. beneficium potest considerari secundum moralem æstimationem, secundum quam potest spectari quod beneficium fuerit, vel non fuerit interruptum. hac ratione beneficium innocentia potest censi maius quam beneficium remissionis peccatorum. 3. beneficium potest considerari ex parte recipientis, quod scilicet sit tali beneficio dignus, vel indignus etiam posituè, secundum quam considerationem beneficium remissionis peccatorum est maius, quamuis enim prima collatio gratiæ facta homini, vel Angelo non fuerit facta digno posituè, non tamen facta est posituè indigno, sicut remissio peccati mortalis, quæ fit Dei inimico, ingrato, præterquam quod innocentia conseruetur in digno. Nam homo per gratiam inhaerentem dignus est, cui hoc donum conseruetur, & cui dentur auxilia actualia quibus possit innocentiam conseruare. dubitari

potest quænam ex his considerationibus præualeat: ad quod

Resp. ceteris paribus beneficium remissionis peccatorum censi maius. cum iuxta moralem æstimationem eadem res vel penè eadem collata inimico, & indigno censetur longè maius beneficium, quam si conferatur amico, vel ei, qui quantum ex se est, non ponit obicem. patet exemplo principis qui censebitur longè maius beneficium præstare inimico vel plebeio, si eum admittat etiâ ad officium mediocre, quam censetur præstare viro nobili, idem vel aliquantò maius officium conferens.

Dico ceteris paribus quia excessus rei collatæ potest esse tantus, vt præponderet alteri considerationi, vt patet in beata Virgine, quæ longè amplius beneficium censetur accepisse, quam is, qui consecutus est remissionem etiam plurium mortalium. & ita de alijs, qui varijs modis possunt comparari.

Ex dictis sequitur peccatum commissum post obtentam remissionem peccatorum ceteris paribus esse grauius, quam sit peccatum commissum post innocentiam, & ceteris, paribus eo esse grauius, quod plura sunt remissa. addi etiam potest ipsam grauitatem peccati in se facere ad grauitatem ingratitude, & peccati augendani.

Ex dictis præsertim dubio primo manent explicati reliqui articuli.

QVÆSTIO LXXXIX.

De virtutum recuperatione per Pœnitentiam.

ARTICVLVS I.

Virum per Pœnitentiam virtutes restituantur?

NOTANDVM S. Th. in præsentî articulo non velle quærere an virtutes restituantur per pœnitentiam, in quantum iam obtinebantur, antequam homo in peccatum mortale caderet: sed an reipsâ homo simul cum remissione peccatorum virtutes recipiat.

Respondetque affirmatiuè: Probatur, per pœnitentiam remittuntur peccata, quorum remissio non potest esse de lege ordinariâ sine infusione gratiæ; gratiam autem comitantur virtutes, quæ sunt instar proprietatum ipsius gratiæ, vnde à primo ad vltimum per pœnitentiam recipiuntur virtutes, quod etiam sequitur ex doctrinâ Concilij Trid. sess. 6. cap. 7. vbi

Notandum primò, id intelligi de virtutibus supernaturalibus, & quidem quatenus ad communem Christianorum statum pertinentibus. quia virtutes naturales, quæ non nisi nostris actibus solent comparari, non recipiuntur in iustificatione, vnde fit, vt homo iustificatus interdum magnam difficultatem sentiat in exercitio virtutum supernaturalium: quia cum virtutibus supernaturalibus possunt remanere habitus vitiosi nostris actibus comparati, quos non tollunt virtutes supernaturales quæ nostris actibus non gignuntur, sed à Deo nobis infunduntur. videri potest S. Th. ad 3.

Dixi quatenus ad communem Christianorum

Resp. Ant. 8. 17. Beneficium remissionis censi maius ceteris paribus.

Corollar. Et resolutio quæstionis principalis.

Sensus articuli D. Th.

Resp. affir.

1. Virtutes naturales non recipiuntur in iustificatione.